



LECTORI BENEVOLO  
S. P. D.  
ADAM RECHENBERG.

**C**um artis maximæ rectique  
judicij res sit, historiam pru-  
denter, & juxta leges morem-  
que veterum Romanorum  
aut Græcorum scribere; ad-  
paret hiuc muneri obeundo idoneos,  
nonnisi viros esse, qui prudentia in judi-  
cando, fide in exponendo, solertia in tra-  
Etando & dicendi facultate in scribendo  
maxime polleant. Inter hos citra adulata-  
tionis vitium, a quo alienus semper fui,  
refero Peiferum, Lipsiensis historiæ con-  
ditorem gravissimum. Qui, ut observa-  
tione rerum acutus, judicio solers, pru-  
dentia copiosus, fide & probitate insi-  
gnis, stylo gravis plane & floridissimus  
scriptor; ita omnia, quæ in urbis historia  
condenda requiri alias solent, abunde  
præsttit. *Primo Lipsiæ nostræ natales*